



5

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
MORBIS INFANTVM

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
ET CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI
ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMO^{VE} PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO DECANO H. T. SPECTATISSIMO

PRO LICENTIA
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS

H. L. Q. C.
AD D. *AVGVSTI MD CC XLVI.*
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
JOANNES GVILIELMVS MÜLLERV
SCHLEIZA - VARISCUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

MURKIS INI

DN. GORD. HINCERIO

WILHELM. VON. HORN. A. B. R. S. B. R.

OMNIA. Q. M. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

B. R. O. H. E. R. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

E. V. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.

W. H. C. T. I. C. T. I. C. T. I. C. T. I.



Inter morbos etatum, quos cum morbis temporum tempestatumque vari generis arctissime conjunxit HIPPOCRATES, primum locum occupant morbi infantum. Integra quippe Aphorismorum Sectione ter tia, de morbis ab anni temporum etatumque conditione ac mutatione pendentibus, divus noster Senex disserit ex instituto; ea quidem lege, ut de variis temporum & tempestatum mutationibus, variorum morborum, immo & sanitatis, pro diversa hominum ætate, causis, prioribus exponat Aphorismis; deinde vero de morbis anni temporum, ver nali bus & aestivi, autumnali bus arque biennali bus præcipiat seorsim; tandem vero de variis etatum morbis, quos ab infanthia ad senectutem usque incurrire solent homines, per aliquot Aphorismos sigillatim tradat. Nos, in exponendis affectibus infantum, artis quidem salutaris principem sequemur in præsenti,

ea tamen & sentiendi & scribendi libertate, ut, ex recentioribus de morbis ætatum scriptoribus, ea breviter huc repetamus, quæ MICHAEL ETTLERVS in *Valetudinario infantili*, GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIVS in peculiari de *Morbis infantum* libro; GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS in diss. de *Adfectibus infantum*, & nuper modo B. HOFFMANNVS in *Medicinae rationalis systematicæ supplemento*, de *præcipuis infantum morbis*, nec non *Illustris PRÆSES ipse*, in *Conspectu medicinæ theoretico-practicæ*, de hoc ipso argumen-to, litteris mandarunt. Ne autem dissertationis inauguralis limites, in tam ampla dicendorum copia, facile transgrediamur; primo quidem morbos infantum a morbis puerorum, ipso præente HIPPOCRATE, quantum fieri poterit, sedulo discerne-mus; deinde vero ipsos etiam infantum morbos, eorumque causas, ad certas quasdam classes reducere conabimur; tandem quoque circa præservandos, curandosque infantum adfectus, eo breviores erimus hoc loco, quo prolixiores aliquando fuerunt laudati modo scriptores, WEDELIVS præsertim atque HOFFMANNVS. Antequam autem ad rem ipsam accedamus, summum ante omnia audiamus HIPPOCRATEM, qui de *morbis infantum recens natorum*, Aphorismo XXIV. de *morbis vero infantum dentieantium*, Aphorismo XXV. seorsim commentatur. Prior Aphorismus ita se se habet, ex interpretatione ANVTII FOESII: secundum ætates autem hæc eveniunt. *Parvis quidem & recens natis puerulis oris ulceræ*

*ulcera, vomitiones, tuffes, vigiliae, pavores, umbilici
inflammationes, aurium humiditates; posterior vero
sequens est: ad dentieundi vero tempus accendentibus,
gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi pro-
fluvia, maxime cum caninos edunt, & iis præsertim
pueris, qui crassissimi sunt, & alvos duras habent.*
*Sunt qui Aphorismum XXVI. cum B. HOFFMAN-
NO etiam ad morbos infantum referunt, qui perio-
dum infantiae ad annum X. immo XIV. usque ex-
tendunt; sed rectius omnino de *morbis puerorum* in-
scripsit Aphorismum hunc IOHANNES IACOBVS
FICKIVS, in *notis* ad HIPPOCRATIS *Aphorismos*.
Quare hunc ipsum Aphorismum una cum sequente
XXVII. qui de *morbis puerorum iam iam puberum agit*,
itemque Aphorismum XXVIII. qui de *crisi morbo-
rum puerilium* præcipit, iis relinquemus, quibus de
adfectibus ætati puerili propriis seorsim dicere volu-
pe fuerit. Reliqui huius Sectionis Aphorismi tres,
tum de *morbis juvenum*, tum de *morbis virorum*, tum
de *morbis senum*, breuiter exponunt, digni sane, qui
peculiari illustrentur *commentatione*. Nostrum
iam erit, ad ductum Aphorismorum XXIV. &
XXV. de *morbis differere infantum*. *Faxit*
*DEVS feliciter!**

§. I.

Certa quedam temporis pars, qua rerum finita-
rum durationem metimur, *sensu generaliori, quo* *utplex.*
ætas appellari solet. In sensu autem specialiori,

A 3

eoque

eoque magis *medico*; *etas* certam denotat *vita* *humanae* periodum, in qua secundum ordinarium *naturae* cursum, & corporum & actionum, tam *naturalium* quam *vitalium* & *animalium*, notabiles contingunt alterationes. Quamquam vero *Medici* ferme omnes, *septenarium* hac in re sequantur annorum numerum, adeoque in constituendis *specialioribus* *vita* *humanae* periodis, *infantiae* atque *pueritiae*, *adolescentiae* & *juventutis*, *atatis virilis* atque *consistentis*, itemque *senectutis* triplicis, *viridis*, *mediae* & *decrepitae* consentiant plerumque; in eo tamen aliquando differunt inter se, quod alii cum ARISTOTELI, in libro *de vita & morte*, tres modo faciant *ætatis* *humanae* periodos generaliores, *incrementi* nempe, *consistentie* & *decrementi*; alii autem quatuor ponant generatim *vita* *humanae* periodos, *impuber-
tatis* quippe, *pubescentiae*, *virilitatis* & *senectutis*. Priorrem qui tuentur sententiam, ad *atatis incrementum* *infantiam*, *pueritiam* & *adolescentiam*; ad *vita* *aute-
rem* *consistentiam* *juventutem*, *ætatem virilem* atque *consistentem*, stricte sic dictam, ad *decrementum* de-*nique* *triplicem* referunt *senectutem*. Qui autem posteriorem amplectuntur *ætatum* *humanarum* divisionem generaliorem, illi sub *annis impuber-
tatis* *infantiam* atque *pueritiam*; sub *annis pubescentiae* *adolescentiam* & *juventutem*; sub *annis virilitatis* *robur* & *consistentiam*; sub *annis* *denique senectutis*, *declinationem* & *defectum* *virium* *humanarum* comprehendunt.

§. II.

§. II.

Si tritissimos istos Germanorum rythmos, de *Quid per ætatum divisione sequi vellemus*, ubi quælibet annorum series decem complectitur annos: *Zehn Jahr intelligatur, ein Kind, zwanzig Jahr ein Jungling &c. latior omnino*, quam par esset, oriretur infantiae periodus; quemadmodum procul dubio *angustior* foret, si secundum Grammaticam vocis interpretationem, *qui nondum fari potest, infantem dicere quis vellet*. Hinc rectius faciunt Medici, qui naturæ ordinem secuti, singulas vitæ humanæ periodos *septenario annorum numero circumscribunt*, atque ita *primum annorum septenarium infantia, secundum pueritia, tertium vero adolescentia, & sic porro tribuunt*. Quamvis omnino quælibet istarum ætatum omnium, atque ita ipsa etiam *infantia*, in *ineuntem, medium & exenuntem*, non male forte dispesci posset; siquidem alia longe est corporis animique constitutio infantis recens nati, lactentis atque dentientis, alia vero infantis quinque sex vel septem annos iam iam superant.

§. III.

Ex iis, quæ de varia hominum ætate, §. I. de *Quinam di- que prima vite humanæ periodo, quam infantiam cantur morbi adpellare solemus, diximus* §. II. *quinam morbi in- bi infantum, fantium propriæ dicendi sint, facile appareat*. Illi niempe omnes, qui a prima hominis nativitate, ad finem usque primi septenarii potissimum contingunt, *infantum morbi audiunt generatim; speciatim vero, adfe-*

adfectus infantiae ineuntis, lactentis atque dentientis hoc ipso nomine veniunt. Et sane ipse divus noster Senex Aphorismo XXIV. & XXV. de *morbis infantiae ineuntis* imprimis quidem loquitur, exeuntis infantiae adfectibus ad morbos puerorum Aphorismo XXVI. relatis. Discrimen itaque quod inter morbos infantum atque puerorum, si accurate loqui velimus, intercedit, ipsa nititur ætatis *infantilis* atque *puerilis differentia*, quam alii quidem negligunt, qui sub morbis puerorum infantum etiam adfectus comprehendunt, alii autem strictius observant, quibus istæ corporis animique mutationes quolibet annorum septenario maxime conspicuae esse videntur. Sed tota ista de discrimine morborum ratione ætatis controversia optime forsan dirimi poterit, si probe perpendamus, *morbos* quidem dari, huic vel illi ætati *proprios*, sed dari quoque *adfectus* huic vel illi vitæ periodo cum alia ætate, præsertim vero cum proxime antecedente vel subsequente, *communes*; qui rursus vel *congrui* sunt vel *incongrui*, quatenus a naturali istius ætatis constitutione vel magis vel minus recedunt.

§. IV.

*Morborum
infantilium
brevis re-
censio.*

Ex mente & sententia *illustris PRÆSIDIS* tringinta duo infantum adfectus potissimum occurrunt: 1) Anæsthesia seu immobilitas infantum; 2) color flavus icteroides corporis; 3) deglutienda difficultas; 4) distorsio calvariae; 5) hydrocephalus; 6) imperforatio emunctiorum urinæ & fecum alvinarum; 7) nævi materni; 8) retentio meconii; 9) op- pletio

pletio pectoris asthmatica; 10) tussis; 11) coryza & gravedo; 12) oculorum auriumque manationes serofæ; 13) raucedo; 14) intertrigines; 15) obstrutio narium mucosa; 16) vomitus; 17) diarrhœa biliosa, æruginosa, vitellina; 18) obstructio alvi; 19) achores, crusta laetæa, tinea & aliae cutaneæ ulcerationes; 20) impetigo; 21) parotides; 22) aphthæ; 23) dentitio difficilis; 24) motus febriles; 25) pavores; 26) convulsiones; 27) atrophia & rachitis; 28) vermes; 29) crinones; 30) strabismus; 31) fascinatio; 32) cardiogmus. Quibus alii addunt variolas & morbillos; quos alii tamen inter morbos puerorum numerandos esse iudicant, quamquam ipsi etiam infantes variolis & morbillis non raro corripiantur. Longiorem morborum infantilium catalogum qui desiderat, adeat, quem supra iam laudavimus GEORGIVM WOLFGANGVM WEDELIVM in peculiari de *morbis infantum* libro; breuiorem autem exhibit FRIDERICVS HOFFMANNVS loco supra iam citato.

§. V.

Si quis autem morborum infantilium certas Morborum quasdam constitueret vellet classes, ille non male forte infantilium affectus istos omnes infantum praeter naturales genitae classerat in externos & internos, speciatim vero in *variae classes*. morbos animi & corporis, inque morbos supremi, medii & infimi ventris dispescere posset. Ex morbis infantum externis quatuor modo recenset HIPPOCRATES: Serpentia oris ulcera, umbilici inflammations,

B

tiones,

tiones, aurium humiditates & gingivarum pruritum; sed plures addi possunt ex iis, quos §. IV. in medium produximus; reliqui pertinent ad *morbos infantum internos.* Inter *morbos animi*, aetati infantili maxime familiares, *vigiliae & pavores*; inter *morbos autem corporis generaliores febres*, inter *specialiores supremi* quidem *ventris, dentitio difficilis & convulsiones, medii, vomitiones atque tusses, infimi vero, alvi profluvia* ex mente divi nostri Senis potissimum occurunt. Perlustrabimus hosce infantum affectus omnes ac singulos secundum classes, quas modo constituimus; ita tamen, ut hinc inde unum alterumve morbum inseramus, de quo artis salutaris Antistes hoc loco quidem nihil dixit.

§. VI.

*Prima classis
morbos con-
tinet exter-
nos.*

Inter *morbos infantum externos*, quos Aphorismo XXIV. in medium profert Senex noster, primum locum occupant *aphthæ*, seu serpentia oris ulcera, vulgo die *Schwämme*, quæ parva sunt ulcerula, infantum os fauces & oesophagum obsidentia, vix milii aut cannabis semen excedentia, cum inflammatione quadam coniuncta, unde propter ardorem & dolorem admodum sensibilem, inquietudines non solum & clangosi excitantur clamores, sed ipsa quoque lactis suetio atque deglutitio valde redditur difficilis. Pertinet huc etiam tum *ranula sub lingua*, tum *strictura freni lingue*, seu vinculum lingue strictius, quod idem afferit & suctionis & deglutitionis, immo & successu temporis loquela ipsius impedimentum.

Sequuntur

Sequentur *umbilici inflammationes*, quæ, ut aliis partibus vulneratis, ita & umbilico, in infantibus recens natis vel male resecto, vel male deligato facile accidere possunt, vnde etiam umbilici exulcerationes aliquando oriuntur. Taceo in præsenti varios istos Herniæ umbilicalis, tam veræ quam spuriæ, tumores, de quibus distincte satis exposuit celeberrimus Dominus PRÆSES, in *Conspectu Chirurgiæ*, Tabula de *Herniis*. Rectius huc referre HIPPOCRATES potuisset frequentes admodum in capite infantum *ulcerationes*, quarum aliae *benignæ* quidem sunt & proprie *achores*, itemque *crusta lâctea*, *tinea*, *favus*, & sic porro appellantur, aliae vero sunt *malignæ*, quæ *impetiginis* nomine salutantur. Frequens etiam in infantibus deprehenditur *intertrigo*, seu teneræ cutis excoriatio, quæ in commissuris partium, v.g. sub axillis, in inguine, scroto, pudendis, natibus, circa anum, ipsiusque cubiti articulo & pone aures, maxime occurrit. Ad *aurum* vero *humiditates* quod attinet, quo etiam *oculorum* spectant *manationes serose*, recte omnino excretiones istæ seri præternaturales in numerum morborum infantilium referuntur; quemadmodum *gingivarum pruritus* inter symptomata dentitionis difficilis non male collocatur, internisque infantum morbis ab aliis adnumeratur.

§. VII

Hæc de *morbis infantum externis*, juxta HIPPOCRATEM sufficient in præsenti. Probe qui-
dem

B 2

Secunda
classis morboe
complectitur
internos.

dem novimus, quod plures adhuc supersint ætatis infantilis affectus itidem externi, e. g. color iste flavus icteroides corporis, distortio calvariae, hydrocephalus, imperforatio emunctiorum urinæ atque fecum alvinarum, parotides, strabismus, imprimis vero nævi materni; quibus ex WEDELIO facile addi possent labia leporina, defectus uvulae, sextus digitus in manu & pede, gibbus & curvitas membrorum, tumores tonsillarum & uvulae, bubones, strumæ & ganglia, furunculi, ulcera, scabies, lues venerea, erysipelas, & extraordinaria quædam alia. Sed probe etiam novimus, quod non librum in præsenti, sed dissertationem modo inauguralem de infantum morbis exhibere debeamus; quare missis affectibus istis omnibus, ad secundam morborum infantium classem, quæ internos infantum morbos comprehendit, statim nos accingimus. Sunt autem infantum morbi interni duplices rursus generis, vel *animi*, vel *corporis*; hinc de morbis animi, quorum duos nominavit HIPPOCRATES, vigilias nempe & pavores, iam dicendi nobis erit occasio.

§. VIII.

Vbi I. occur-
runt morbi *morbi* cadant *animi*, de eo quidem queri forsan hic
animi. posset; siquidem nec sensuum externorum nec internorum, nedum rationis, nec appetitus sensitivi nec rationalis visus plenarius infantilis recens natus concedendus esse videtur. Verum omnis statim evanescet dubitatio, si perpendamus, somnum & vigilias

gilias inter res quidem non naturales, infantibus tamen ad actiones vitales & naturales eo alacrius exercendas, præsertim quod ad somnum attinet, ad prime necessarias, non ultimum occupare locum. Quare nimis infantum vigiliae a variis quidem causis tam internis quam externis provocatae, ad statum animi præternaturalem merito referuntur. Quemadmodum etiam *infantum pavorum*, quibus vel integrum corpus, vel hoc illudve corporis membrum partim ab insomniis, partim ab aliis sensus vitalis perceptionibus, inopinato plane commovetur, tamquam motuum convulsivorum prodromi, de statu principii vitalis præternaturali oppido testantur. Nec male forte ipsi motus convulsivi, infantibus adeo familiares, tanquam motuum excedentium vitia, huc referri possent; sed de illis mox in sequentibus sub morbis ventris supremi differere constituimus.

§. IX.

Inter *morbos corporis generaliores*, infantibus si non omnibus, difficulter tamen dentientibus non raro obvenientibus, *febres* maxime occurunt. Sunt autem febres aliæ essentiales, primariæ seu idiopathicæ, aliæ vero sunt accidentales, secundariæ, symptomaticæ, vel sympatheticæ. Hinc disputant artis salutaris Doctores, an febres etiam primariæ seu idiopathicæ præsertim vero intermittentes, pueris, adolescentibus & juvenibus quasi propriæ, in ipsam etiam ætatem infantilem cadant; de secunda-

II.
Morbi corporis generaliores.

riis enim, seu accessoriis, quæ difficilem comitantur dentitionem, satis superque loquitur experientia. Dirimat hancce controversiam magnus quondam Jenensium Medicus, GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIVS, qui in libro supra iam citato capite XXXIV. de febribus infantum hunc in modum differit: *Vt universalis morbus sunt febres; ita & infantes iis non sunt exempti, tum primariis tum secundariis & comitatis frequentius, tum intermittentibus, rariissime licet, tum continuis ipsis quoque, licet rarioris.* Ita vidimus infantes, etiam vix annum natos, & adhuc lactentes, circa adfectam similiter matrem, laborantes, a privato fermento, undecunque concepto, tertiana & quotidiana, cum typo constanti expresso, immo & ipsa quartana in quatuor quinque sex annorum puerulo.

§. X.

III. Sequuntur morbi infantum specialiores, quos sequuntur triplicem corporis cavitatem, in morbos supremi, medii & insimi ventris commode dispesci posse, supra jamjam indicavimus, §. V. Retulimus inter morbos supremi ventris, partim dentitionem difficilern, partim vero convulsiones. Quemadmodum vero dentitio difficilis gradu maxime differt; alia enim solito difficilius tantum procedit, nec periculosa adeo symptomata coniuncta habet, alia autem est difficillima, & vitæ discrimine stipata; ita generatim definiri potest difficilis dentium pronascentia: quod sit dentium cum impetu & vehementiore dolore aliis-

Morbi infantum specialiores, quos sequuntur triplicem corporis cavitatem, in morbos supremi, medii & insimi ventris commode dispesci posse, supra jamjam indicavimus, §. V. Retulimus inter morbos supremi ventris, partim dentitionem difficilern, partim vero convulsiones. Quemadmodum vero dentitio difficilis gradu maxime differt; alia enim solito difficilius tantum procedit, nec periculosa adeo symptomata coniuncta habet, alia autem est difficillima, & vitæ discrimine stipata; ita generatim definiri potest difficilis dentium pronascentia: quod sit dentium cum impetu & vehementiore dolore aliis-

aliisque gravioribus symptomatibus contingens per-
ruptio, a firmioribus plerumque gingivis & nimio
naturæ nisu originem suam trahens. Ad *motus au-*
tem infantum convulsivos quod attinet, illorum iti-
dem *variis* dantur *gradus*. Sic *gradus* quasi *primus*
est stridor dentium, concussio in somno, & vigi-
liis quoque ipsis, aliquando sursum veluti a terrore
retractis partibus, cum vel sine clamore. Spectat
huc etiam epilepsia implicita, vel latens quasi, sensus
minus incurrens, quam Germani vocant *den inner-*
lichen Jammer. *Medius gradus* est vel magis vel mi-
nus perfectus & completus, qui per paroxysmos sta-
tos vel incertos, crebros vel rariores inuadit. Ma-
jor autem capit is, pectoris totiusque corporis con-
quaſſatio, cum sensuum internorum & externorum
detentione conjunctus, *tertium convulsionis gradum*
constituit.

§. XI.

Ad *morbos infantum*, qui *medium ventrem occu-* β) *Ventrī*
pant, juxta HIPPOCRATEM vomitiones pertinent *medii secun-*
atque tuffes; sed a recentioribus huc etiam refertur *dum HIP-*
cardiognus, germanice das *Hertz-Gefspann*, *oppletio POCRA-*
pectoris asthmatica, vulgo das *Racheln*, & catarrhus *TEM.*
suffocatus, der *Steck-Fluss*; quibus alii *sternutatio-*
nem addunt atque *singultum*. De vomitionibus infan-
tum suo jam tempore bene judicavit JACOBVS
HOLLERIVS, Medicus Parisiensis doctissimus, in
commentario ad HIPPOCRATIS præsentem Apho-
rismum: *Jam vomitiones accidunt puerulis propter*
vora-

voracitatem, quia plus lactis exsugunt, quam possit ferre & concoquere ventriculus. HIPPOCRATES morbum statuit; at nutrices infantes, qui lac rejiciunt, putant esse salubriores magisque virvaces, sed istud distinguendum: ea revomito potest esse a copia lactis ingesti, vel imbecillitate ventriculi, vel virio lactis nutritiis. Virales sunt & salubriores infantes, qui revomunt a copia lactis, quia robustus ventriculi calor nativus, ubi amplexus est lactis partem meliorem magisque familiarem, reliquum tamquam supervacaneum rejicit. Et bi solent esse voraces, bene habiti & colorati; contra minus sunt vitales, strigosii & male colorati, qui lac revomunt ob alias duas causas. De tussibus autem infantum hunc in modum scribit HOLLERIVS l. c. tusses quoque facile pueris accidentunt, ob humiditatem cerebri multam delabentem ad asperam arteriam & pulmones. Sed recte jamjam monuit WEDELIVS, de infantum tussi, quod alia sit tussis per essentiam, alia per consensum. Ita, inquit, modo sola est & simplex, a catarrho & cum eodem, seu coryza, ob aeris injuriam, ob contagium a nutrice tussiente, vel a frigore non satis defensis mammis; modo autem juncta est cum dentitione & salivatione, cum variolis maxime, quas præcedit ordinarie; non raro etiam est epidemica.

§. XII.

Secundum recentiores. Diximus §. XI. quod ad morbos infantum medi ventris, a recentioribus artis salutaris interpretibus etiam referatur *cardiognus*, quem affectum præcordialem,

dialem, infantibus admodum frequentem, *cardiacam* & *pleuresin flatulentam* alii appellant. Occupat quidem iste morbus, ceu species cardialgiae, inter ventrem medium & infimum, medium quasi locum, & a flatulenta abdominis & ventriculi diffensione, dia phragma fortius comprimente, potissimum originem suam trahit; ob difficiliorem tamen, & sublimem aliquando respirationem, doloremque pectoris gravativum ac tensivum, affectibus pectoris consensualibus omnino accenseri poterit. Reptius in hunc censum venit *oppletio pectoris asthmatica*, & *catarrhus suffocatus*. Hic subitanea & maxime periculosa est pulmonum ab humoribus seroso-mucidis, nimia copia in eos irruentibus, orta repletio aut oppletio, congestionem & nimiam partium, respirationi inservientium, pulmonum scilicet ac thoracis relaxationem sequens; *asthma autem humidum* est species respirationis difficilis, a nimia humorum viscidorum in pulmonibus & in primis bronchiis inherarentium copia proveniens. *Singultus* vero atque *sternutatio*, si modum non excedant, inter salutares naturae conatus, materiam aliquam molestam fortiori nisi protrudendi, non infimum locum tenent.

§. XIII.

Infimi ventris morbum, infantibus non solum *ventris morbi* dentientibus, sed & aliis admodum familiarem, non nisi unicum adfert HIPPOCRATES, *alvi* nempe *profluvia*; nisi forte *alvum duram* infantum crassiorum, cuius in eodem Aphorismo mentionem facit,

C

in

in eandem morborum infantilium classem referendam esse duxeris. Verum si rem recte aestimamus, ex infimo infantum ventre, tamquam ex equo Troiano, si non omnes, plurimi tamen prodeunt infantum hostes. Agmen dicit meconii aliarumque impuritatum *retentio*, quam dolores ventris infimi seu *tormina* varii generis illoco sequuntur. Audiamus de formibus infantum FRIDERICVM HOFFMAN-NVM, qui libro supra iam citato, cap. IV. §. I. Ex *cunctis*, ait, *que teneros cruciant infantes, afflictionibus, vehementes abdominis dolores & inflationes frequenter occurunt; que his maxime signis se manifestant.* Primo agri valde inquieti hic illuc se iactitant & torquent, pedibusque calcitrant; mammae aver-santur, & continuum fere ploratum edunt; venter flatus turgidus conspicitur cum spirandi angustia; ru-stus interdum ex ore impetuosis prorumpunt; alvus plerumque est adstricta, & si deponitar, excrementa ut plurimum viscida, tenacia, plus minus colore viridi & eruginoso tincta, mox instar aquae leniter fluorescentis fluida reddit; mox vero instar albuminis ovi indurata grumosa dimittit, quod vernacula wie Eyer gehactes exprimit; s^ep etiam tam acris & corrosiva eiuscuntur, ut inde podex cum perpetuo tenesmo excorietur.

§. XIV.

*Alvus ad-
stricta vel
obstructa.*

Augentur tormina infantum, si, quod non raro fieri solet, alvus nimis fuerit adstricta, vel potius obstrueta. Utraque pertinax secum alvinarum retentio, quarum illa quidem a fortiore sphincteris ani

con-



constrictione , haec autem a segniore motu peristaltico intestinorum originem suam trahit , quo diutius forte durat , eo gravioribus & periculis , immo lethalibus aliquando stipata est symptomatis . Contrarium ex adverso malum est *alvus nimis laxa* , seu *Nimis laxa.* diarrhaea , quae vel simplex est , vel cholérica , vel lienterica , vel celiaca , unde feces varii coloris , odoris atque consistentiae , imo sanguinolentæ aliquando deiiciuntur . Accidit autem crebrior illa alvi deiectione non solum tempore dentitionis , quæ plerumque tamen melius succedere solet , quam si alyus fuerit clausa ; sed & alias , ob fermentum lymphæ acidο-acre-biliosum , ipsumque lac non uno modo corruptum , frequentiora contingunt alvi profluvia . Quorum alia non male quidem cedunt infantibus , qui abundantibus sape & cacoehymicis humoribus hacten ratione felici quodam successu liberantur ; alia vero appetitum penitus prosternunt , vires exhausti , inque febrem lentam & atrophiam infantes coniungunt .

§. XV.

Atrophia , seu defectus debitæ nutritionis , cum *Atrophia.* successiva partium & habitus corporis contabescencia coniunctus , unde etiam *infantum tabes* a non nullis appellatur , paullatim quidem integrum occupat & consumit corpus ; quoniam autem , ab infarctu glandularum mesenterii potissimum , & hinc denegato chyli per easdem transitu liberiori originem suam dicit , inter morbos infimi ventris non ultim

Rhachitis. mum occupat locum. Atrophiam excipit *rhachitis*, novus quidam infantum morbus, qui circa finem ferme seculi superioris ex Anglia in Germaniam aliasque regiones septentrionales est delatus, quem alii pro specie atrophiae habent, & definunt rhachitidem, quod sit inæqualis infantum nutritio, qua partes aliæ debito suo nutrimento orbatæ contabescant, aliæ plus iusto nutritæ augmentum recipiant, & cum ossium artuum extremorum spinaeque dorsi incurvatione maiores fiant. Celeb. autem Dominus PRÆSES novam huius morbi theoriam dedit, in *Conspectu Pathologie* tabula IX. de *congestionibus* circa finem; ubi rhachitidem non tam pro specie atrophiae, quam potius pro infelici quodam eventu, naturæ contra atrophiae caussas motibus suis auctis fortiter pugnantis, habendam esse contendit. Conf. etiam Ipius *dissertatio de rhachitide*.

§. XVI.

*Vermes in-
fantum.*

Agmen claudant morborum infimi ventris *vermes infantum*. Sunt autem vermes animalcula viva, variae figuræ, structuræ & magnitudinis, quæ ex seminio seu ovulo infecti cuiusdam cum alimentis assumto in cavo intestinorum nascuntur, & putrido quodam corrupto succo increscunt, corporisque universi œconomiam mirum in modum labefactant & laedunt. Tres potissimum constituuntur vermium species, *rotundi* seu *teretes*, germanice *die Spulwürmer*; *lati* seu *teniae*, qui admodum longi mensuram decem pedum aliquando excedunt; & ver-

vermes admodum parvi, exigui, graciles, *ascarides* vulgo dicti, germanice *die Maden*. Quos tamen inter morbos puerorum Aphorisma XXVI. non male retulit HIPPOCRATES; experientia enim constat, quod ætati puerili vermes non minus familiares sint, ac ætati *infantili*. Dira saepe peregrini illi hospites, pro diversa sua sede, excitant symptomata. In intestinis quidem tenuibus tormina, morsum circa umbilicum, ventris intumescentiam; in intestino autem recto, molestas plane titillationes, rosiones, & perpetuum fere tenesimum producunt. Quod si autem ventriculum ipsum occupent isti hostes, nauseam, cardialgiam, syncopen, corporis iectigitationes, stridorem dentium, horrendas partium convulsiones, deliria mortemque ipsam aliquando inferunt. Ceterum aliud ad huc genus a nonnullis observatur, quod poros cutis in infantibus nonnunquam infestare dicitur, & a crinum figura, quam referre videntur ista animalcula, *crinones*, ab impedita autem infantum nutritione, *comedones* appellantur.

§. XVII.

Unicus iam superest infantum morbus, quem *Variola* ^{et} *morbilli*.
alii quidem, non minori sane iure, inter morbos puerorum referendum esse iudicant, *variolæ* nempe & *morbilli*. Sunt quippe febrium acutarum exanthematicarum species, quarum ope natura materiam acrem & causticam humoribus inhærentem ad externum corporis habitum expellere conatur. In *morbillis* longe minor cutis elevatio adparet, pectus

maxime, aliquando etiam facies, maculis obsidetur, tussis excitatur, atque totius morbi decursus mitior & benignior deprehenditur, citiusque terminatur. *Variolæ* contra caput, manus & pedes potissimum occupant, maculæ in dies maiores fiunt & rubræ, quæ deinceps suppurantur, albescunt, exulcerantur, & exsiccantur; ad quod perficiendum non solum plures dies requiruntur, sed vehementiora quoque symptomata accedunt, & vestigia saepe indelebilia in cute remanent. Ad eandem febrium exanthematicarum classem *purpura* spectat *miliaris*, *urticata* & *scarlatina*, quam cum puerperis infantes etiam non nunquam incurrere solent, ubi principium vitale miasma aliquod subtile fermentescens ad corporis peripheriam extrudere adlaborat.

§. XVIII.

Cause morborum infantilium generaliores.

Ad caußas nunc morborum infantilium descendimus, quarum aliæ quidem *generaliores* sunt, aliæ vero *specialiores*. De generalioribus, tam remotioribus quam proprioribus, primo loco, deinde autem de specialioribus breviter dicemus. Sunt qui caußas morborum infantilium generaliores partim in habitu corporis laxe & molliori, admodumque delicato fibrarum & membranarum sensu, partim vero in redundante succorum pituitosorum acrumque humorum copia potissimum reponunt. Quibus, præter hereditariam corporis infantilis ad hoc illudve morborum genus dispositionem, rerum non naturalium abusum maxime adnumerandum esse censem. Ita ratio-

rationes de morbis infantum generaliores subdueit FRIDERICVS HOFFMANNVS, cap. I. de *morbis infantum in genere*. Quamquam vero hæreditaria dispositio corporis, & nimirum infantum sensibilitas multum omnino valeat in recipiendis fovendisque eorum morbis, abusus etiam rerum non naturalium recte omnino huc referatur; tamen si rem omnem penitus æstimamus, partim in *excernendorum retenzione*, partim vero in *depravata nutrimentorum ingestione*, *pravaque illorum digestione*, unde varia pendet humoris in infantibus depravatio, prima morborum infantilium origo præcipue quærenda esse videtur. Audiamus hac de re celeberrimum quondam Lipsiensium Medicum, quem supra iam laudavimus, MICHAELEM ETTMÜLLERVM qui in *Valetudinario infantili* Capite secundo §. V. hunc in modum differit: *Causas generales dum evolvimus affectum infantilium præter naturalium, duæ principiores se se offerunt, excluso tamen semper vel vicio parentum hæreditariis, vel aliunde hausto fermento contagioso, nempe obstativa retentio excernendorum & perversa ingestio nutrimentorum; ibi quidem eminet secum primarum viarum, & in specie meconii suppressio, & hinc insensibilis transpirationis occlusio; hic vero primario se offerunt vires lactis & errata pultis.*

§. XIX.

Excrementsa foetus, post partum intestinis ad- Meconiz a
huc inhærentia, a papaveris succi nigredine meconium harumque
appellatur; ubi præter ventriculum albicante plus mi- impuritatum
nus retentio.

nus lentaque materia refertum, pituitosa & flava, interdum variegata recrementa intestina tenuia occupant; sicuti in crassioribus excrementa duriora, crassiflora, & quasi picea, ex viridi nigrescentia hospitantur. Hæc si diutius retineantur, aut pertinacem alvi obstruktionem inferunt, aut lactis nutritivi distributionem impediunt, aut sub distributione per intestinorum gyros idem corrumpunt, & æruginoso virore tintum ad corruptionem disponunt, aut intestinis pertinaciter adhærendo termina crudelia inducunt. Quibus presso pede sequuntur cardiogmus, & difficilis respiratio, inquietudines & vigiliae, euillatus & clamores, pavores atque convulsiones; vel prorumpunt tandem deiectiones biliosæ, decolores, æruginosæ, vitellinæ, quæ novas procreant intestino recto & partibus adiacentibus molestias, erosiones, intertrigines & quæ sunt reliqua. Non solum vero meconii, sed & aliarum impuritatum tam crassiorum urinæ & sudoris, quam subtiliorum seu insensibilis transpirationis suppressio, inter caussas morborum infantilium generaliores principem locum occupat. Legatur hac de re elegantissimus SANCTORII libellus, quem Medicinam staticam inscripsit.

§. XX.

*Vitia lactis
& pulvis.* Alterum morborum infantilium fontem, causamque generaliorem, depravatam diximus nutrimentorum, tam potulentorum quam esculentorum, ingeritionem, quo *vitia lactis pulvisque* maxime pertinent.

Opti-

Optimum quidem, quod natura ipsa infantibus præbet, & medicamentum & nutrimentum, est lac matris. Provida enim natura, in salutem fœtus editi, non statim post partum lac perfectum pinguiusque subministrat, sed serosius & tenuius præmittit *colostrum*, quod serositate sua salina mucum stomachi blande abstergit, & intestinorum recrementa seu meconium istud, infantibus adeo infestum, optime expurgat; qua ipsa quidem ratione supervenienti successive alimentoſo magis lacti digestio non solum facilitatur, sed & lactis nutritivi corruptio multum omnino impeditur. Præterquam vero, quod multi infantum, quibus nutrices ubera præbent, priventur tam optimo remedio; ipsum etiam lac nutritivum, per neglectam plerumque affectuum refrænationem, & inordinatam ſæpius lactantium diætam, multis modis depravatur. Accedit lactis in ſe boni perversa & superflua ingestio, de qua recte iudicat ETMÜLLERVS l. c. §. XI. *Lactis superficia & tantum non coacta infusione matres pueros suos nimis alendo, ſepe necant, & dum lactant, maſtant. Sicut enim omnis nimia repletio, ut panis adultis, ſic lactis recens natis poffima eft.* Pultis autem vitia duo ſunt potifſimum, tum perversa eius instar glutinis viſcosi præparatio, tum pravus ille nutricum aliarumque vetularum mos, quo pultem, panem, aliosque cibos diu præmansos, fœtidiffima ſæpe ſaliva conſpurcatos, obtorto quaſi collo infantibus intrudunt.

§. XXI.

Varia humorum in infantibus depravatio.

Ex hoc duplice malorum infantilium fonte, *tria maxime propullulant humorum in infantibus vitia*, quorum unum quidem magis *quantitate*, duo autem *qualitate* potissimum peccant, *plethora* nempe, *spissitudo & cacoehymia*. Ex *nimia* enim alimentorum *ingestione*, nimia humorum copia & abundantia non potest non oriri; ex *denegata* autem excernendorum *recrementorumque egestione*, & *prava* nutrimentorum *digestione*, ex una quidem parte, lenta, tenax, viscida, sanguinis, aliorumque humorum spissescientia, ex altera vero parte, contraria plane sanguinis humorumque oritur depravatio, ubi nempe impuritates salinæ, biliosæ, acidæ, acriores, majori quantitate humoribus sunt immixtæ. Fluida virtus ipsas etiam solidas corporis partes pedetim reddunt vitiosas; unde cachexia, atrophia, rachitis, variae exulcerationes cutaneæ, aliaque partium solidarum vitia, originem suam trahunt.

§. XXII.

Morborum infantilium externorum caussæ speciales.

Inter morbos infantum *externos*, iuxta HIPPOCRATEM, primum locum occupant *aphthæ*, seu serpentia oris ulceræ; quibus ex recentioribus *achores* atque *impetigines*, aliasque partium cutanearum *excoriationes*, & *exulcerationes*, merito adnumeravimus. Quemadmodum vero *intertrigines* a causis potius externis, urinæ nempe sudorisque acrimonia, *achores* vero & *impetigines* a caussis ab intra magis

magis provenientibus, a vitio nempe & corruptione feri salsi viscidi, in glandulis tubulisque cutaneis subsistentis, ortum suum trahunt; ita *aphthæ*, quorum aliae benigniores, aliae vero maligniores esse solent, non tam ab acore vitioso, ex stomacho exhalante, quod ETTMÜLLERVS quidem contendit, quam potius ab acri quadam materia, plus vel minus caustica, in sanguine prognata, & per glandulas faucium eructa, palatum faucesque erodente, originem suam ducunt.

§. XXIII.

*Causas morborum animi in infantibus optime Morbi animi nos edocuit GEORGIVS ERNESTVS STAHLI- unde orian- VS, in dissertatione de affectibus infantum. Digna tur in infan- tibus. sunt eius verba, quæ hic legantur: *Animi pathema- tibus*, inquit, minus obnoxios esse infantes putare liceret; sunt autem quam maxime. Et primo per *impressionem*, a tempore adhuc gestationis, immo a tota reliqua parentum, quin subinde avita *indole*. Deinde per *incussionem*, quo nomine maxime *terrore* percelli & pavoribus exagitari docentur, ex imprudente & immodesta iam excitatione e somno, iam stolida, voluntaria, quasi ioci cauſa, facta percusſione; iam ſeminarum a quibus portantur, repentinis, trepidis, *clamoribus*. Ita etiam *timore* vexari incipiunt, interdum per ipsam iocofam nutricum impreſſionem, verbis & imprimis gestibus, quibus aliquid timere inducuntur, & sub aliquo metu folli-*

D 2

cite

cite conticescere , seque cohibere edocentur. Sicut enim animum advertentibus , iustissimam certe admirationem , aut ad minimum attentionem mereatur *gestuum* ingens efficacia, & quidem per inexplicabilem illam , sed notissimam *mutuam communicationem* , & perceptionem ; ita ipsi usque tenerimi infantes quotidianis exemplis eximie hac perceptione pollent , & inprimis circa res *placentes* eximie, aut *horridas*.

§. XXIV.

*Varia morborum inter
norum causae.
fa.*

Prolixum nimis foret , si de omnium ac singulorum morborum internorum , tam generaliorum quam specialiorum, supremi, medii atque infimi ventris , quibus infantes maxime obnoxii esse solent, *caussis specialioribus* , specialiorem aliquam considerationem, in præsenti nostra dissertatione inaugurali , suscipere vellemus. Præsertim cum iam supra plurimorum istorum morborum *causam proximam* insimul indicavimus , ubi de illorum ratione formali sufficietes dedimus characteres. Iam si ea etiam hic referamus , quæ de caussis morborum infantium generalioribus, tam remotioribus, quam propinquioribus , §. XIIIX. XIX. XX. XXI. in medium produximus, caussæ istorum morborum specialiores, facile inveniri poterunt. Plura qui desiderat , ipsos adeat de morbis infantum scriptores , quos supra iam laudavimus ; quibus tamen addi debet GVALTERVS HARRIS , Londinensis Medicus, qui circa finem

nem seculi superioris, peculiarem, *de morbis acutis infantum*, tractatum, Londini 1689. 8. edidit, quem magnus ille Batavorum medicus HERMANNVS BOERHAVE, in *methodo discendi artem medicam*, pag. 496, sequenti ornavit elogio : HARRIS scripsit tractatum de *morbis infantum*, cuius similis in suo genere non invenitur; omnia brevissime describit, & demonstrat, quod pendeant in primis eorum morbi ex indigesto & coagulo lactis.

§. XXV.

Restat, ut de *preservandis, curandisque infantum affectibus, generaliora* quædam addamus *consi- infantilium lia*; ad specialiora enim descendere, nec temporis *præservatio*, nec instituti nostri ratio permittit. Ante omnia gaudent hic bene nati! Experientia quippe constat, quod non omnium promiscue, sed quod bene iam iam monuit STAHLIVS l. c. mollium præsertim, inordinatorum, otiosorum, delicatorum, tenerorumque hominum infantes morbis plerumque sint expositi. Infantes autem a durioribus, corpore animoque compositis, parentibus geniti, & durius mox habitu a partu, non ita facile in morbos citra externas iniurias coniiciuntur; immo talium infantes ita sensim obfirmantur, ut & iniurias externas eo facilius superari possint. Id quod non surdis dictum esse velim parentibus, quorum corporis animique status naturalis, ad præcavendos infantum suorum morbos, multum omnino conferre valet. Deinde

D 3

vero

vero *papaverculum* istud, seu *meconium*, vel ope co-lostri, vel per syrum de cichorio cum rhabarbaro, cui anatica oxymellis squillitici portio addi potest, quantocys ex corpore tenellorum infantum prescribendum, sensibilisque pariter ac insensibilis *transpiratio*, per regimen temperatum, pulveremque ex absorbente & antimoniato fixo, blande promovenda est. *Lactis* autem *pultisque vitia*, partim per debitam animi moderationem, partim per lactantium latentiamque diatam bene ordinatam, optime praecaveri poterunt. Ita obturatis morborum infantium fontibus, de rivulis inde promanantibus non adeo solliciti esse debemus.

§. XXVI.

*Curatio ge-
neralior.*

Quod si vero tam necessaria istorum fontium obturatio vel in totum, vel in tantum fuerit neglecta, & hac ipsa quidem ratione nimiae humorum abundantia, *ipissitudini*, aliisque *cacochymicis impuritatibus* porta fuerit aperta; tribus ipsis vitae sanitatisque humanae hostibus generalioribus, nutrimento partim tenuiore, potuque magis diluente, partim vero remediis incidentibus atque resolventibus vegetabilibus, imprimis autem absorbentibus acrimoniisque obtundentibus, priore paragrapho nominatis, nec non mucilaginosis atque gelatinosis alimentis medicamentosis e. g. decocto hordei vel ave-nae, obviam eundum est. *Alterantibus* hisce *remedii*, facta humorum debita correctione & præparatione,

tione, *evacuantia* illico subjungi debent, *emetica* quidem rarius, *diapnoica* autem *alvumque blande subducentia* eo frequentius. Qui vero *diapnoicum pro infantibus* in temperatissimo aliquo remedio desiderat *effectum*, ille, inquit STAHLIVS, longe felicius potietur voto suo, si in usum trahat *nudum antimonium diaphoreticum*, modo de reliquo recte paratum, ut tenue, & sine florum crudorum in reliquam massam relapsorum miscela fuerit. Sane quid hoc simplex præparatum possit in variis teneriorum in primis infantum affectibus, prudenter adhibitum, vix quisquam persuadebit incredulis, nisi experientia. Certe, qui hoc cum aliis commodis absorbentibus sociatum, infantibus tempestive, moderatis etiam dosibus, exhibere scit; poterit facile aliorum & laboriosorum & numerosiorum hujus census remediorum usu supersedere. Ad *blande autem laxantia* quod attinet, præter syrum de cichorio, quem paulo ante commendavimus, maxime hic spectat succus rhabarbari, cum manna, vel syrupo foliorum sennæ remixtus. Eundem quoque præstant effectum pilulae BECCHERI balsamicæ, tum matri vel nutrici, tum ipsis etiam infantibus iteratis quidem dosibus propinatae. Tandem in plerisque infantum affectibus maxime commendari merentur *clysmata* leniora aliquando, aliquando vero acriora; quippe qui *alvum non solum aperiunt, congestionesque versus partes superiores factas revellunt, sed & spasticos infantum motus opti-*

32 *Dissertatio inauguralis medica de morbis infantum.*

optime saepe demulcent. *Specialiorem medendi methodum*, qua morbos infantum internos & externos, generaliores & specialiores immo specialissimos, ex una quidem parte ETTMÜLLERVS, WEDELIVS & HOFFMANNVS, ex altera vero STAHLIVS, & illustris Dominus PRÆSES ipse, distinctius exponunt; ad quos, brevitatis causa, lectores nostros hoc loco remittimus.

T A N T U M.



2a 4713

ULB Halle

003 901 068

3



80





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS INFANTVM

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO

ET CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI
ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCCKER O

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO DECANO H. T. SPECTATISSIMO

PRO LICENTIA

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE OBTINENDIS

H. L. Q. C.

AD D. AVGUSTI MD CC XLVI.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

JOANNES GVILIELMVS MÜLLERVS

SCHLEIZA - VARISCVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.